

*Accusatoris mansio.*

1. Duo in hoc articulo continentur. Primum est de domicilio ab accusatore indicando, quo acta ei sint transmittenda. Alterum est de mercede nunciis acta perferentibus ab accusatore solvenda. Ultimò subjicitur, actuarium debere loci situm, domusq; nomen, quam accusator indicarit, in acta judiciaria referre, *Steph. hïc.*

2. Quis absens hïc intelligendus pro subjectâ materiâ facilè animadverti potest *Zieritz. hïc.*, ubi quoque dicit ex aliis, quot passus ad Germanicum milliare requirantur.

ARTICULUS XVIII.

*Judiciorum preparatoria.*

1. Haëtenus Imperator, primam hujus Judicii telam detexuit, quam nunc abrumpens, ad ulteriora progreditur. Cùm enim, ut inquit eleganter *Zieritz. hïc.*, duplicem illam in hoc templo Justitiæ aperuerit portam, unam inquisitionis, alteram accusationis, de reorum capturâ, accusatorum cautionibus, aliisq; præparatoriis rerum capitalium disseruerit, oppido se confert ad ipsam indiciorum materiam, quæ cùm difficulter, certisq; regulis includi possit, promittit tamen Imperator, se id quantum possibile, facturum.

2. Bona verò indiciorum pars in conjecturâ sagacis, providi, & legalis Judicis consistit. Neq; enim leges, neq; Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoq; inciderint, comprehendantur *l. 10. l. 11. ff. de ll. ideò ad similia procedendum est, l. 12. l. 13. ff. de ll. l. 7. §. 2. de iurisd. l. 30. in fin. de negot. gest.* multò minus verò omnium factorum circumstantiæ unâ quasi tabellâ ob oculos poni queunt, quæ tamen in quolibet negotio diligenter considerandæ sunt *Cothm. 3. resp. 39. n. 14. Ant. Rob. 1. rer. judic. 6. Vide Iust. Gobler. hïc in auctario, & art. 19. in auctario, Zieritz. art. 24. verb. siquidem omnium factorum, Steph. art. 25 in initio.*

ARTICULUS XIX.

*De verbi, indiciorum, significatione.*

1. Quanquam verba sunt rerum notæ, picturæ, & tesseræ, tamen, cùm neglectus verborum rerum pariat incertitudinem, rectè Imperator in hujus materiæ vestibulo vocis, indiciorum, significationem persequitur, ne aliquid priùs determinatur, quàm terminus intelligatur, neq; committatur ambiguitas, quæ errori similis est, & ad finis. Plura trado hac de re *discurs. Acad. 2. concl. 1.*

2. Sub nomine, indiciorum, semper & ubique intelligi debent argumenta, suspensiones non leves, conjecturæ jure probatæ, adminicula, præsumptiones, & quæ in generis alia *Steph. hïc.*, ubi definit indicium esse signum, sive adminiculum demonstrativum delicti, vel alterius facti, de quo quæritur. Vide *Prosp. Farin. lib. 1. tit. 5. q. 36. per tot. Zieritz. hïc.*